

Agneten tage mit vnserm furstlichen insigel beuestent vnd bewart czu eime rechten orkunde dar an gehangen.

Nach dem Registrum copiarum fol. 28 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 139. 1377. 20. Apr.

B. Friedrich von Merseburg eignet das von Conrad von der Wedere Domherren zu Zeitz mit Zustimmung Rudolfs d. ä. von Bünau erkaufte Dorf Lipprandisdorf, und das Capitel zu Merseburg ertheilt hierzu sowie zu der durch die Markgrafen erfolgten Eigenthumsübertragung des Dorfes Zuckelhausen (No. 138) seine Genehmigung.

In nomine domini amen. Fredericus dei gratia episcopus ecclesiae Merseburgensis universis Christi fidelibus imperpetuum. Ut acta hominum, praecipue quae ad cultum praetenduntur divinum, perpetue duratura rata et firma serventur, necesse est ea privilegiorum attestationibus auctenticis confirmari. Notum sit igitur tam praesentibus quam futuris, quod religiosi viri praepositus et conventus monasterii sancti Thomae apostoli in Lipezk ordinis sancti Augustini nobis dilecti suis denariis rationabili emptionis et venditionis contractu interveniente compararunt a domino Conrado de Wedere canonico Czicensi suisque fratribus et eorum heredibus una cum consensu ac bona voluntate Rudolphi de Bunow senioris septem mansos in villa Lipprandisdorf^{a)}, quos a nobis et a nostra in feodo tenuit ecclesia in manus nostras libere resignarunt. Nos saepedictos mansos per resignationem praedictorum domini Conradi de Wedere et Rudolphi senioris de Bunow in manu nostra liberos tenentes ipsosque mansos praedictos de consensu et voluntate unanimi honorabilium virorum ac dominorum Petri praepositi, Ottonis decani totiusque capituli accedente iustis et piis precibus religiosorum virorum praepositi et conventus praedictorum in Lipzk attendentes, mansos praenarratos cum omni proprietate, usufructu, quae nunc insunt vel inesse poterunt quomodolibet in futurum, dictis praeposito et conventui ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipezk donavimus appropriavimus et incorporavimus et praesentibus donamus incorporamus et appropriamus dei nomine in his scriptis. Et ne haec nostra donatio incorporatio et appropriatio aliquorum invidia vel ignorantia valeat revocari vel infringi, hanc litteram eisdem dedimus nostri sigilli munitione roboratam.

Et nos dei gratia Petrus praepositus, Otto decanus totumque capitulum ecclesiae Merseburgensis, ut nostrum consensum praemissis omnibus appareat favorabiliter affuisse, sigillum nostri capituli duximus apponendum. Insuper donationem et incorporationem villae Czukelosen viginti unum mansum habentem ab illustribus principibus Frederico, Baltazare et Wilhelmo marchionibus Misnensibus ecclesiae sancti Thomae in Lipezk donatam et factam, quorum bonorum proprietates ad nos et ad nostram ecclesiam dinoscitur pertinere, approbamus et ratificamus. Datum et actum Merseburg anno domini M^o CCC^o LXXVII^o feria secunda ante diem sancti Georgii

^{a)} Lipprandisdorf, schon damals wüste Mark; die Felder wurden durch die Bauern von Holzhausen bestellt. Vgl. Urk. v. 1379. 10. Febr. u. 1384. 18. Juni.